UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 1. Cum Deus in omni Casu adsit, nullum iustæ indignationi locum esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52314

Visual Library

aduerſa lætis identidem temperantur; mutántque vices nunc amara, nunc dulcia: vt dicere poſſimus: *ſecundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Conqueri non poſſemus, ſi per ſola aſpera duceremur: nunc aſpera planis mitigantur. Ita bonus eſt Deus, qui, ob nullos caſus acerbos, iniuſtus eſſe eſt exiſtimandus. Pſal. 93. 19.

CAPVT. VII.

Quinam, & quanto fructu, conſiderârint, Caſus omnes, non à Fortuna, ſed à Deo mortalibus inuehi?

§. I.

Cùm Deus in omni Caſu adſit, nullum iuſtæ indignationi locum eſſe.

QVoniam ergo neque à *Fato,* neque à *Caſu*, neq; à *Fortuna*, ſed à Deo regitur Mundus; Deus autem neq; neceſſitatem hominibus, ad agendum inijcit; neque temerè aut fortuitò quidquam ſinit fieri; ſed, ſummo conſilio omnia dirigit, quæ illi, qui cæci ſunt, cæcæ Deæ aſcribunt, aut, *Caſu* contingere arbitrantur: ſupe-

pereſt, vt diuinam prouidentiam, bonitatem, æquitatem inter omnes *Fortunæ caſus*, agnoſcamus & veneremur, dicamúſque,
Iob. 2. 10. cum Iob: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Vtraque enim ab
S. Auguſtin lib. 4. de Ciuit. cap. 33. illo. De bonis ait S. Auguſtinus: *Deus æternæ felicitatis author & dator, quia ſolus eſt verus Deus, ipſe dat terrena & bonis & malis. Neq; hoc temerè & quaſi fortuitu, quia Deus eſt, non Fortuna: ſed pro rerum ordine ac tempore, occulto nobis, notiſſimo ſibi: cui tamen ordini temporum non ſubditus ſeruit: ſed eum ipſe, tanquam Dominus regit, moderatórq; diſponit.* De malis pœnæ aut naturæ ait A-
Amos, 3. mos: *Non eſt malum, in ciuitate, quod non fecit Dominus.* Cum itaq; tam mala iſta, quàm bona ſint à Domino, meritò dicimus, in omni Caſu aduerſo: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Dominus eſt, poteſt punire ſeruos; Pater eſt, poteſt filios caſtigare; Mundi Gubernator eſt, poteſt bona malis, & mala bonis temperare.

§. II.

Tulipæ, ad ſolem ſe pandentis, cum homine læta duntaxat captantis comparatio.

Tulipam Dalmatæ ac Turcæ pileum vocant, ſeu amiculum capitis, quod geſtare ſo-